

1892

SCIPIONIS

M A R A N T Æ

M E S S A N E N S I S

EXPOSTVLATIO

I N

BARTHOLOMÆVM GERMONIVM

pro antiquis diplomatibus, & co-
dicibus manuscriptis.

Colegio M^r. de Alcala



Colegio M^r. de Alcala

1798?

M E S S A N Æ

Apud DOMINICVM TARINVM.

Præsidum Authoritate.

1 Jul.

Digitized by Google

117-6-2

N° 12332

W. H. G.

SCIPIONIS
MARANTÆ
MESSANENSIS
EXPOSTVLATIO

I N

ARTHOLOMÆVM GERMONIVM
pro antiquis diplomatibus, & co-
diciis manuscriptis.

Colegio M^r. de Alcala



Colegio M^r. de Alcala

1798?

M E S S A N Æ
Apud DOMINICVM TARINVM.

Præsidum Authoritatis.

1 Jul.

Qui acusat instrumentum de falso, & non probat, punitur tanquam falsarius . Paulus de Castro in l. jubemus, Cod.de probationibus.

M A R C H I O N I
J O S E P H O
U R S I O

Patricio Bononiensis

V I R O N O B I L I S S I M O

S C I P I O M A R A N T A
S. P. D.

Nihil utilius , nihil salubrius
Reipublicæ est , tum ad recte
instituendos animos , tum ad pacem ,
felicitatemque comparandam , quam
hominum detegere sententias , &
opiniones , quæ veritati repugnant ,
illasque penitus profligare , atque fal-
sitatis convincere . Hinc evenit , ut
non solum ab illis abhorreant , qui

a 2 pro-

Qui acensat instrumentum de falso , & non probat, punitur tanquam falsarius . Paulus de Castro in l. jubemus, Cod.de probationibus.

M A R C H I O N I
J O S E P H O
U R S I O

Patricio Bononiensi
VIR NOBILISSIMO

SCIPIO MARANTA
S. P. D.

Nihil utilius , nihil salubrius
Reipublicæ est , tum ad recte
instituendos animos , tum ad pacem ,
felicitatemque comparandam , quam
hominum detegere sententias , &
opiniones , quæ veritati repugnant ,
illasque penitus profligare , atque fal-
situdinis convincere . Hinc evenit , ut
non solum ab illis abhorreant , qui

a 2 pro-

propriis ingenii viribus res perpen-
dere non valent ; verum etiam qui
falsis prænotionibus adducti illas vé-
ras existimant , vel quod ab ineunte
ætate , quæ fons est errorum , a magi-
stris hauserunt , vel quod ab aliis lau-
datas sentiunt . Quamobrem cum
cognovissem a quibusdam , qui jura-
re solent in verba magistri , laudari ,
probarique libros Germanii ; hanc
Expostulationem in vulgus emittere
non dubitavi , qua propalam fierent ,
quæ Antiquitati adversa pronuncia-
vit Germanius , quæque hominum
Societatem , historiam , fidem publi-
cam , ipsamque Religionem ever-
tunt . Verum mihi diu cogitanti cui
dono darem hunc libellum , Tu in
mentem venisti , celeberrime VRSI ,
literarum decus , ac nostræ ætatis or-
namentum : nam te Itali nostri vo-
cant

cant hominem doctissimum ; optimum civem , literarum præsidium , atque fautorem . Tu enim clarissimos viros convocasti in domum tuam , quæ omnibus apertissima est , & perhospitalis , ut continuos cum illis institueres sermones de excellentioribus , ac singularibus scientiis , obscuriores , & penitiores sententias Platonis, Aristotelis, Demetrii, Longini , aliorumque præstantissimorum Græcorum enucleando , atque illustrando ; quantumque fructum ex hinc lucubrationibus perceperis , satis demonstrant , quæ Tu Italos homines propugnando adversus Bohoursum , & Trevoltianos illos Heroas , explicasti

— chartis

doctis, Juppiter, & laboriosis.

Quare Tu Italorum unus quod ad
a 3 di-

dignitatem Italiæ maxime pertinebat, prospexit, & consuluit; Tu eorumdem conatus gravissimis, & firmissimis argumentis infringendo, confidentiæque facile occurrendo, in antiquum locum honoris illam restituisti. Quæ cum diligenter attenderem, liquido perspexi, quantum jure merito Itali viri amplissimis laudibus Te ornaverint, tuosque libros magna cum admiratione, & voluptate exceperint. Quibus de caussis tibi quicquid hoc libelli est do, dicoque, Deumque rogo, ut Te quam diutissime servet incolumen, ad domum tuam cumulet felicitate.
Vale vir doctissime.

CLAU-

CLAUDII MONTERCHII
TARENTINI V.C.

Epistola
AD AUCTOREM.

Claudius Monterchius Scipioni Ma-
rantæ S. P. D.

Cogor præter morem, Scipio cla-
rissime, harum literarum ini-
tiā ab excasationibus auspi-
cari, quod nempe tam sero tuis vi. Kal.
Aprileis ad me datis respondeam. Cave
hoc obseruantia erga te meæ vicio ver-
tas; sed potius tribue temporum vicis-
itudini, que nostrum illud commer-
cium dudum abrumpens, vetat nos ab-
sentes alternis colloquiis oblectari.
Quantis itineribus Epistola tua buc
tandem advenerit, me tibi narrare non
refert, qui scis rerum caussas, & meam
in te voluntatem nullis unquam cala-
mitatibus & dissidiis labefactandam

a 4 jam

jam pridem agnoscis. Legi semel atque iterum summa voluptate quæ scribis de nostræ hujus miseræ ætatis hominum religiosorum præfracta audacia , qui spretis omnis modestiæ , Et prudentiæ legibus in vulgus emittere non erubescunt scripta flammis abolenda , adprobantibus præsidibus suis , atque etiam plaudentibus : quæ tamen , si saperent , tenebris damnarent Et auctorum temeritatem debitas pœnas , pro munere suo , luere cogerent . Putabamus Harduinum esse unicum post hominum memoriam , qui maximo omnium scandalos sacræ Et profanæ antiquitati diras manus injecisset , cum ecce gestientibus sociis in scenam venit Germonius ; alter plane Hardinus , si dementiam Et fastum hominis species : si vero eruditioiem consideres , Hardino longe quidem dissimilium . Et tamen , si Deo placet , Romæ non deest , ut audio , homo quidam (doctorem Mussipontanum appellant) qui Germoniana scripta cedro digna esse prædicat , nolentibus etiam distribuit , ut fasti-

fastigii , quo nunc literæ in Galliis flo-
rent , vel binc specimen habeant . Ete-
nim vir magnus & modestia singularis
Germanum Galliæ literatis omnibus
præstare sacramento affirmat : quod ut
facilius credatur , frequenter ingemi-
nat , Germanum sibi operum dedisse . Be-
ne sit tanto magistro , qui talem disci-
pulum efformavit , qualem propriis ejus
coloribus & penicillis in Expostulatio-
ne tua graphice delinas , optime Scipio .
Doctoris illius jam nomini parco . Sed
nisi ipse sibi consuluerit , erit sane , qui
ipsi consulet . is enim ille est , qui unde-
quaque corradit excerpta librorum ,
qui pro partium studiis vituperari , vel
laudari debent in Dario Trevoltiano .
Sed ad nostra veniamus . Expostulatio-
nem tuam in Germanum exosculatus
sum , in qua hominis machinationes de-
texisti , quid inde periculi Christianæ
religioni immineret , palam faciens . Re-
rum summam acu , ut ajunt , tetigisti :
nec dubitandum quin lateat multorum
conjuratio ad omnem antiquitatem

ever-

ræ in Galliis flo-
en habeant. Ete-
odestia singularis
literatis omnibus
affirmat: quod ut
requenter ingemi-
operum dedisse. Be-
, qui talem disci-
valem propriis ejus
is in Expostulatio-
cas, optime Scipio.
romini parco. Sed
rit, erit sane, qui
illuc est, qui unde-
cerpta librorum,
diis vituperari, vel
iario Trevoltiano,
mus. Expostulatio-
nonium exosculatus
s machinationes de-
periculi Christianæ
, palam faciens. Re-
, ut ajunt, tactigisti:
uin lateat multorum
omnem antiquitatem
ever-

cvertendam ; ut recentibus tantum
scriptoribus locus detur . Siquidem
Harduinus Græcos & Romanos pleros-
que Scriptores ait esse suppositos ; Pa-
tres etiam præcipuos nostræ religionis
interpretes , atque in his Justinum fere
totum , & Origenem contra Celsum ;
Sacrae item Scripturæ primigenios fon-
tes Hebraicos & Græcos, ut patet ex ejus
operibus , per Hæreticos Batavos hoc
ipso anno recusis . Germonius vero idip-
sum affirmat de veteribus chartis , incli-
nante latinitate exaratis ; de Sancto-
rum Patrum codicibus , quos corruptos
esse contendit . Quid ergo iam saperest ?
Nihil sane , nisi ut veterum scriptis om-
nino contemptis (quod quidem vellent)
recentioribus tantum suis operam de-
mus . Tu hoc argumentum graviter ,
ut cetera , prosecutus es ; mibiique arri-
dent mirifice que de Archivis & Bi-
bliotecis publicis & privatis differis .
Ego vero Commonitorium nostrum in
Gerninum jam totum absolvī , & jam
edidissim , nisi curæ familiares animum
meum

meum alio traxissent. Brevitamen, ut
spero, id peragam. Necesse fait in plu-
res libros illud dividere ob rerum co-
piam: etenim omnes Germanii libellos
examinare placuit, & ejus ignoran-
tiam, superbiæ non ferendæ conjun-
ctam, funditus excutere. Hinc videbis
summam hominis imperitiam in re chro-
nologica, & geographica, patefactam.
In historia Francica omnino hospitem
demonstro, & auctores, quos citat, non
solum non legisse, sed neque unquam vi-
disse; unde ejus pudenda plagia emer-
gent, in plures classes distincta. Vide-
bis magnum Disceptatorem in ætati-
bus auctorum adsignandis immaniter
peccasse; aliquando duos & tres in
unum ridicule confudisse: ut supinas
alucinationes suas tegeret, per avia &
devia errasse, præpetibus pennis menda-
ciorum & cavillationum elatum. Quia
vero non semel cum ab aurea latinita-
te laudari intellecti, in hoc eodem ar-
gumento fusi versari libuit: quare
ostendi Germanium artis grammaticæ,
ortho-

orthographiae; Et sermonis latini penitus rudem, innumeris ejus mendis coacervatis, non quidem typographica oscitatione semel admissis, sed ab auctore ipso saepe numero repetitis: quae quinquaginta saltem classes constituent. Ejus quoque singularis modestiae plura specimina in unum concessi; antilogias item plurimas ipsis ejus verbis expressas; pericula denique ex ejus systemate religioni Et sacræ traditioni imminentia. Præterea licet clarissimus Lazarrinus se ab ejus calumniis Et dictiis strenue defenderit, placuit ejusdem Et Gatti epistolas fuisse propugnare. Lazarini Defensionem, egregiam sane, ab erudito viro Cajetano Lombardo editam, ad te mitto. Credem mihi, amicorum integerrime, sinc horrore me legere non potuisse Germonii deliria in ordinem monasticum, Et majorum sacra monumenta: meque hac tempestate centies memoria repetuisse quod blaterat de triginta annorum possessione: quo nihil stultius, nihil injuriosius Ecclesiis, sum.

summis Principibus, & ipsi Sedi Apo-
stolicæ excogitari potest, ut perspicies ex
ipso opere nostro. Interim fac edas quam-
primum Expostulationem banc tuam;
& si qua in re operam meam tibi profu-
turam cognoveris, eadem pro arbitra-
tu tuo utere. Vale.

Dabam Tarento III. Kal. Julias
MDCCVIII.

Errata sic corrigito

Epist. nunc hæc ria in fine in columnæ
Pag. 7. lin. 6. reteratur.
25. 18. Eclogæ
39. in marg. Lindaviens.

Cum libros tuos perlegissem, Bartholomæ Germani, nihil aliud abs te cogitatum, nihil aliud suscepsum comperi, nisi ut in summam invidiam adduceres clarissimum Mabillonum, Benedictini Ordinis virum, qui tibi tuisque adsentatoribus morum sanctitate, atque doctrina longe præstabat; illum insimulando, tanquam falsorum diplomatum defensorem, eundem que identidem vocando *calumniatorem*, *obtrectatorem*, *cæca maledicendi libidine percitum*, *suspicionibus levissimis plus æquo indulgentem*; quanquam Tu initio per summam nequitiam speciem simulatae laudis ostentares. Confidebas enim, Te, quasi esses homo disertissimus, & ad dicendum paratissimus, facile, immo cum laude, posse hanc caussam

A ad-

70.11.11.11.
333.345.334.

70.11.11.

aduersus Benedictinos suscipere ;
 illos tanquam ubique gentium
 falsarios. , & injustos bonorum
 possessores denunciando . Quæ
 cum legissim , non mediocri-
 ter miratus sum , Te , hominem
 religiosi Ordinis , adeo Instituti
 quod profiteris immemorem suis-
 se , adeo perfricta fronte om-
 nes modestiæ , ac honestatis leges
 fregisse . Nam quæ tanta in te fuit
 audacia ? quæ tanta temeritatis
 vis ? ut Tu unus tantum virum ,
 tantumque Ordinem irridendum ,
 objurgandumq; susciperes ? qui
 furor ? qui spiritus te impulit ?
 quæ necessitas te adegit , ut de
 diplomatibus leges ferres , vel , ut
 verius dicam , pertubares , ever-
 teres artem diplomaticam ? Dicis ,
 ita postulabat studiorum mcorum
 ratio . Verum , Germoni , studia
 tua potius postulabant , ut Pri-
 scianum , Despauterium legeres ;
 Rhe-

T. I. P. R.

Rhetoricen Suarii, atque Pomei
 scripta memoriae mandares, ado-
 lessentulis tuis deinceps enucle-
 anda; quam ut artem secernendi
 diplomata vera a falsis tractares.
Nam quæ est in Te cognitio histo-
 riæ? quæ peritia in evolven-
 dis, legendisve diplomatibus, vel
 perlustrandis Archivis, cum nul-
 la Te vidisse fatearis? Tu enim 10.3.9.28.196.
 nihil aliud tuis in libris fecisti,
 quam ampliare dubitationes, quas
 Mabillonius sibi ipsi objecerat; eas
 veluti crambem recoctam nobis
 identidem obtrudens. **Quæ** de re
 admirabilis fuit tua confidentia
 & audacia, in eum senem scribe-
 re velle, quem omnes Galli, im-
 mo tota Europa propter ejus sua-
 viissimos, atque optimos mores,
 divinumque ingenium certatim
 amarunt, ut nunc nomen ejus
 maxime colunt, ac venerantur.
 Sed dicam, Germani, quæ violen-

A 2 tia

tia, quæ insania te egit, ut librum
 Mabillonii carperes, famam ejus
 proscinderes, atque lacerares?
 fuit consilium, fuit conjuratio
 tuorum adsentatorum, quibus
 summum in primis studium est
 alienas laudes, præcipuorum ma-
 xime, & præstantissimorum viro-
 rum clanculum, per se, per emis-
 sarios corrodere, & concerpere.
 Illi enim Benedictinos odio plus-
 quam Vatiniano prosequuntur, cū
 videant illos doctrina ac sanctitate
 claros, magna cum laude emen-
 datiores edere libros Sanctorum
 Patrum, qui Græca, Latinaque
 in Ecclesia floruerent, innumeraque
 illustrare ab aliis non tentata.
 Argumento sunt turbæ, quas gre-
 gales tui Romæ excitarunt. Quos
 enim lapides non moverunt, ut
 Opera Sancti Augustini a Benedi-
 ctinis edita proscriberentur? qui
 insidiosi rumores in vulgus non
 spar-

spargebantur de Benedictinis ?
 quantum tunc fuit hominum po-
 tentium studium ? quæ diligen-
 tia ? qui libelli edebantur ? sed , o
 bone Deus , quis tandem fuit ma-
 chinamentorum finis ? quis trium-
 phus vester ? proscripti fuere a Se-
 de Apostolica libelli calumniosi . O
 præclaram accusationem vestram !
 O felicem hominum diligentiam !
 disturbatæ sunt quas excogita-
 stis insidiæ , compressa ferocitas ,
 fracta audacia , & loquacitas re-
 tardata . Putas ne , Germoni , no-
 bis obscura esse , quæ nuper etiam
 moliti estis , ut eadem editio
 Sancti Augustini damnaretur ?
 quod profecto evenisset , nisi se-
 cretos conatus viri pii , & doctissi-
 mi infregissent . At quod majus ,
 & manifestius hostilis animi tui
 exemplum adversus Benedictinos
 habemus , quam ubi affirmas , il-
 los dedita opera usos esse in edi-

A 3 tio.

tione Sancti Augustini codici-
 bus Corbejensibus a Gothescalco
 vitiatis ? illos adulteratam a
 Felice Orgelitano hæretico le-
 ctionem Sancti Hilarii admisisse ?
 Omiser Germoni , cum re , tum
 hoc ipso , quod non fentis , quam
 miser sis ! quæ tanta in Te va-
 nitas , tanta levitas fuit , ut Tu
 unus , omnium facile omnibus
 rebus infimus , hasce editiones ,
 cura virorum præstantium , acer-
 rimique judicii factas , fuggillan-
 das , despiciendas putas ? qua
 fronte Monachos Benedictinos ,
 ut corruptores codicum criminis ? scilicet ut renovares impias
 hæreticorum calumnias , qui co-
 dicum corruptionem Monachis ,
 præcipue Benedictinis toties tri-
 buerunt ? audi , Germoni , verba
 Riveti Calviniani : *Sed quid a*
multis retro sœculis non ausa est
Monachorum audacia ? qui cum
fere

Trad. de Aut.
 Patr. p. 80.

fere in cryptis suis Sanctorum
 Patrum labores , nondum typo-
 graphica arte inventa , aut pos-
 siderent , aut describerent , tan-
 tam sibi licentiam usurparunt ,
 ut vix jam reperietur codex ali-
 quis , qui manus eorum impu-
 ras effugerit . Audi hanc alteram lib. 11. de script.
Ans. c. 6.
 Kimedonci calumniam , tua non
 leviorem .: Testes appello passim
 tot Monasteriorum per Papatum
 bibliothecas , in quorum quibus-
 dam ipsem et vidi Monachos au-
 dacter admodum falsarias manus
 intulisse Scriptoribus Ecclesiasti-
 cis ; integras sententias , Et pa-
 ginas totas obliterando , immo
 integris ternionibus , Et libris
 excisis autores indigne castrando .
 Hæretici posthac dicent ; ut de
 Franciscanis , qui Ambrosium Pa-
 risiis ediderant , dolose & ex
 ingenio Francisci Junii , pronun-
 ciavit Rivetus ; si tale quid Bene-

dictini *Parisienses* (*Franciscani*
dicebat Junius) ausi sunt, quid
in similibus Romæ actum sit, aut
quotidic agatur, divinare prom-
ptum est. Posthac Hæretici te-
stimonium tuum in medium pro-
trahent; libros tuos laudabunt,
cum per calumniam petere vo-
lent editiones Augustini, & Hilarii
a Benedictinis adornatas. O ma-
ximum crimen, in Ecclesia Ca-
tholica nunquam antehac audi-
tum! o impudentiam non fe-
rendam! o impium hominis
sensem! non commoveris, Ger-
moni, Hæreticis, hostibus nostræ
Religionis, ansam te præbuisse
Catholicos calumniandi? non te
pudet illorum antiquas crimina-
tiones adversus nos confirmasse?
quam laudem tibi inde sperabas?
numquid illam, quam adeptus es
scribens adversus Mabillonum?
Evidem fateor me, postquam
libel-

libellos tuos evolvi, magnopere
 stomachatum esse, Te Benedi-
 ctitos tanquam falsarios, Te ar-
 chiva omnia, & præcipue Dio-
 nysianum, tanquam falsorum di-
 plomatum officinam infamasse;
 Te animo mirum in modum in-
 fenso erga sodalitium adeo san-
 ctum, omnique honore dignissi-
 mum, id conatum esse, ut tra-
 duceres viros de Religione, de
 bonis moribus, de litteris be-
 nemeritos, qui Romanam Ec-
 clesiam ad summum culmen
 perduxere, qui scientias in Oc-
 cidente barbaris sæculis conser-
 varunt; qui juvenes optimis mo-
 ribus, doctrinisque imbuerunt,
 meliori methodo ac alii nunc qui-
 detur faciunt. Hoc ne est Benedi-
 ctitos homines *præcipuo cultu a*
pueris venerari? hæcne est obser-
 vantia, quam dicis Te habere
 nobilissimæ Sancti Benedicti fami-
 liæ?

liæ ? scilicet Benedictinos notare
 ut corruptores codicum , ut falsa-
 rios ? hoc ait *honeste* , *sine ulla*
invidia , *sine ulla offensione* con-
 tendere ? hoc dicis *investigande*
veritatis studium ? debebas fal-
 tem, si modo *actus interno* , *E* formalis
homines diligere Te non te-
 nerí putabas ex Suarezii senten-
 tia, Religiosissimos viros palam non
 criminari? hoc ne est dici Jesuitam,
 nempe discipulum Christi? nescin'
 ὅτι ἀπόδειξις τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθη-
 τῶν οὐσὶν αὐτῷ πρὸς ἄλλοις αὐτὸν
 certissimum argumentum, aliquos
 esse Christi discipulos, si mutuo se
 diligent . Audi ipsiusmet Christi
 testimonium : ἐν τούτῳ γνώσεται
 πάντες ὅτι εἱμοὶ μαθηται εἰσε , ἐάν
 αὐτὸν εἴχητε ἐν ἀλλοῖς in hoc
 cognoscant omnes , quia discipuli
 mei eritis , si dilectionem habueri-
 tis ad invicem . Tu vero ab his
 rebus quam longe abis , dum pios
 viros

T. 1. p. 4.

disp. v. de prae-
char.Rafil. in Mor.
p. 284.

viros maledictis oneras , calum-
 niis , jurgiis impetis . Hoc , Ger-
 moni , ait homines diligere ? hoc
 praeceptum Christi perficere ? hoc
 est Christi discipulum dici ? Te
 potius dicas discipulum Suaresii ,
 Dicastilli , Escobari , Hurtadi . Non
 ne succenseret , Germoni , & meri-
 to succenseret , si alii Te , tuosque
 appellarent Confucianos , corrup-
 tores , non diplomatum , sed Ethi-
 ces , & Religionis Christianæ , syco-
 phantas , pernicie in bonarum li-
 terarum , perturbationes in utra-
 que politia , multas lites , dissidia ,
 contentiones , æmulationes indu-
 centes ? vel scipios commendantes ,
 & alios vituperantes , humiles
 relatos , dulces calumniatores ? er-
 go quidni etiam alii tibi succen-
 seant , cum Benedictinos notas , ut
 corruptores codicum , & diploma-
 tum ? At id me fecellit , & opinio-
 nem meam . Vos revera estis di-
 sci .

Scipuli Christi, nam mutuam charitatem erga vos habetis, calumniis vos non impetitis, candide inter vos agitis, probatis vestrorum ingenia, mores, titulis non parcitis, vobis non detrahitis; sed cur idem aliis non facitis, quod vestris? An quia non sunt *ingenia Aquilæ, turbæ Phoenicum, societas Angelorum?* Verum quid plura de animi tui ingenuitate, de mentis tuæ moderatione? hæc missa facio, ut de diplomatibus verba faciamus. Dic, Germoni, quantis sophistices principiis tuos libros inspersisti? quanto Pyrrhonismo illos cumulasti? negabis fortasse Te esse Sophistam, Te esse Pyrrhonæum. Dic sodes quid sit sophistam esse? ignoras? dicam ego ex Aristotele: Sophistæ est φάσκειν ἐρωτᾶν μάθειν βούλόμενος dicere se interrogare, ut discere velit. Tu sane Sophistarum princeps,

ceps, & coryphaeus jure dicendus;
 nam cum Mabillonum reprehendi-
 dis, affirmas Te non reprehende-
 re, sed *investigandae veritatis*
studio interrogare. Si est So-
 phistæ *τὸ λαμβάνειν τὸ εὐ αρχῆ*
sumere quæsitum initio posi-
tum, quis inficiabitur Te esse
 sophistam? etenim si ego tibi pro-
 feram diploma aliquod, cui sit
 sigillum, chirographum, ortho-
 graphia illius saeculi, Tu respon-
 debis suspectum esse; quia diplo-
 mata vera a falsis non possunt
 secerni ex sigillo, ex chirogra-
 pho, ex orthographia: quia ipsa
 sua vetustate suspectum erit; vel
 illi vitium potest inesse, quod
vobis lateat. Nonne hoc est prin-
 cipium petere? ad quæsumum ini-
 tio propositum recurrere? ideam
 veri, vel falsi diplomatis ignora-
 re? Si est sophista, qui transit
 ab eo, quod est verum *κατὰ τι* *fe-*

Aristoteles de
Soph. Elen. p. 283.
edit. Par.

Arif. ibidem
p. 285.

cundum quid ad verum ἀνδρῶς
 simpliciter, captiosa certe erit ista
 argumentatio, qua tuam probare
 contendis sententiam: Multa di-
 plomata, quae Labbeus, Dubletus,
 & Mabillonius in medium pro-
 trahunt, sunt falsa, igitur necesse
 erit reliqua esse dubia, & suspe-
 ctae fidei. Quis bubulus argu-
 mentaretur stupidius, quam Tu,
 divine, ut tibi videris, Dialectice?
 postulo mihi respondeas, homo ve-
 hementi praeditus ingenio. Erit ne-
 vera hæc argumentatio? Aethio-
 pes dentes habent albos, igitur re-
 liquo corpore sunt albi. Hæc ea-
 dem erit verissima secundum tua
 dialectices principia: multi libri
 Sanctorum Patrum sunt suppositi
 igitur necesse erit omnes esse sup-
 positos, vel dubios, vel suspectos.
 Omnem rem exemplo expediam.
 Tu huic argumentationi facile
 præbebis assensum: Liber Ambro-
 sio

si adscriptus *De Filii divinitate*
adversus Arianos est Vigilii Tap-
 sensis; liber hactenus Augustino
 adscriptus *De Ecclesiasticis dog-*
matibus est Gennadii Massiliens-
 sis; vel, ut de Hieronymo loquar,
 liber *De virginitate ad Demetria-*
dem est Pelagii; cetera ergo Opera
 Ambrosii, Augustini, Hieronymi
 erunt supposita, vel suspectæ fidei.
 Vide in quos scopulos illidis! qui-
 bus obrueris tempestatibus! οὐ γὰρ
 ταῦτὸν εἶναι τέτι, καὶ εἶναι ἀπλῶς
 non enim idem valent esse aliquid
 tale, οὐδὲ simpliciter. Nunc
 Pyrrhonismi Te postulabo. Si Pyr-
 rhonæus est qui de omnibus du-
 bitat, qui omne criterium recte ju-
 dicandi destruit; Tu quidem es
 Pyrrhonæus; nam affirmas nullæ,
 ut nunc res sunt, evidentur habe-
 ri posse notæ, quibus priscorum
 sæculorum autographa sincera a
 falsis certo secernantur. Præterea
 di-

T. I. pag. 42.

Lib 314.5.

dicis, et si nihil vitii appareret in diplomatibus, non idcirco consequens est chartam esse veram, ac legitimam: Quid enim si alia insint via, & nobis latcant? Hæc mihi, Germoni, in mentem revocant, quæ Gellius de Pyrrhonæis affert his verbis: *judicia rei cujusque, & sinceræ proprietates negant posse nosci, & percipi*; vel cum ajunt omnium rerum fidem veritatemq; mixtis confusisque signis veri, atque falsi incomprehensibilim videri. Tu ne latum quidem unguem ab ipsorum methodo deflectis, cum dicis, diplomata vera cum falsis ita esse commixta, ut vera a falsis secerni, atque nosci non possint. Si enim a Pyrrhonæis queratur an nix sit frigida, sol sit calidus: illico respondebunt, tales quidem esse videri, quia illa frigida, hic vero calidus apparet. Ita quoque si Te, Germoni, interrogem;

rogem : et si nihil vitii appareat in
 diplomatibus, diplomata erunt ne
 vera , an falsa ? continuo respon-
 debis , licet quidem vera appa-
 reant , nihilominus possunt illis
inesse vitia , quæ nobis lateant .
 Negabis nunc has dubitationes
 esse Pyrrhonæas ? quanto melius
 dixisses, Tē scribere de Arte ever-
 tendi diplomatum veritatem ,
 quam *de Arte secernendi anti-*
qua diplomata vera a falsis , si
 nullum diploma ex tuis princi-
 piis verum censeri potest ! fortas-
 se, ut lectori fraudem faceres (nam
 tibi semper mos est involucris, &
 fucis mentem tuam abscondere)
 dicis, solum tibi in animo fuisse ad
 examen revocare quæ Mabillo-
 nius ediderat, non vero artem se-
 cernendi diplomata vera a falsis
 pessundare . O hominis callidita-
 tem ! dic pseudolè , ex quibus di-
 plomatū veritas conjici , proba-

B rive .

70.1.78.43.49. rive potest? ex chirographis? Tu
 negas. Ex papyro? Tu dicis ca-
 ducam fuisse, neque tandem du-
 rasse, ut ad nos perveniret. Ex
 scripturæ forma? Tu afferis falsa-
 rios potuisse illam simulare; vel
 quæ fuit tunc temporis, dissimi-
 lem, contrariamve esse ab ea, quæ
 nunc est in diplomatibus. Nem-
 pe video Te omne criterium,
 omne judicandi instrumentum
 evertere. Dic denuo, potest ne
 hac esse major Pyrrhonæa dubi-
 tatio? *An chartæ illæ, quæ vi-
 dentur antiquæ, re ipsa antiquas
 esse constet, neque ex illarum nu-
 mero, quas falsarii ad verarum
 similitudinem confinxerunt.* Hoc
 ego dico Pyrrhonismum, has ajo
 dubitationes Pyrrhonæas, scilicet
 Pyrrhonæorum more οὐδὲν ὅπις εἰ
 nibil definire. Illud etiam te sem-
 per delectat, Mabillonio male lo-
 qui secundum χαρακτῆρα Pyrrho-
 næo-

natorum , cum ejus opus *vānum*
 laborem vocas , cum temeritatis,
 audaciæ , illum *nova artis inven-*
torēm , insimulas . Hæc erant no-
 tæ a Pyrrhonæis inustæ dogmati-
 cis . Illi enim *μαθαυτονίας* voca-
 bant horum studium , hisce cri-
 men *όμσιος προπετεῖας* inurebant.
 Verum , Germoni , nunc Te for-
 tius urgebo . Si vero diplomata
non possunt probari ex stilo , ex si-
gillo , ex chirographo , ex scriptu-
ræ forma , ex orthographia ; quo-
modo Tu ipsorum falsitatem de-
prehendis ex stilo , ex orthogra-
phia , ex sigillo ? si nulla est ars
dijudicandi diplomata vera a fal-
sis , qua arte Tu homuncio diju-
dicas falsa esse diplomata Mer- -
vingica , Carolovingica ? Hæc est
illa tua disceptatio ingeniosa , &
elegans , nec parum rei diploma-
tice lucis allatura , ut prædicat
mancipium tuum Raguetus . O

B 2 ele-

elegantem , o ingeniosam discep-
tationem , qua rei diplomaticæ
tenebræ offunduntur ! O fortu-
natam , cui Raguetus, decus Gal-
liæ , cálculum suum adjungeret !
dignam , quam Trevoltiani illi
probi homines , quibus est thesaú-
rus in lingua situs , ut quæstum
habeant male loqui melioribus ,
stultis vero benedicere , laudibus
ad cœlum tulerint , defenderint !
hi enim cum Reverendo Patre
de Vitry , cum Pucharto , aliisque
tuis adsentatoribus Te instar nu-
minis habent , Te ubique conce-
lebrant ; in Te spes illorum sunt
omnes , dum faciunt , ut tu prin-
ceps quam maxime inter Scrip-
tores excellas , tibiique primas in
dicendo , in judicando partes con-
cedunt : unde recte tibi illam Ti-
monis laudem ad Pyrrhonem
tribuere etiam deberent

Moū

Μοῦνος ἐν αὐτῷ ποιεῖ θεοῦ τρόπον
καὶ μονεύειν.

Tuum nunc est, Germoni, judicium illorum sustinere. Verum mihi nunc respondeas velim, a quonam hanc artem dubitandi didicisti? an a Pyrrhone? ab Arcessilao? a Zenone? a Chrysippo? dices: ab his quidem, & ab aliis, quos domi habeo egregios Aristotelæos, Aegidium Estrix, & Parkerum: si enim his licuit de rebus divinis dicere, homines *inculpate* dubitare posse de iis mysteriis, quæ credenda proponit Ecclesia. Religione Christianam esse evidenter credibilem, non evidenter veram: cur concessum non sit in rebus humanis, scilicet in diplomatis, affirmare, non esse certam artem secernendi diplomata vera & falsis? diplomata vera non posse probari ex stilo, ex chirographis, ex orthographia, ex papyro?

Epirix dias. de
Fide p. 88.
Parker in Thesæ
Anglo-lond. anno
1695. coll. 8,

ro? esse ipsa sua vetustate suspe-
 cta? O monstra! o deliramenta
 plusquam anilia! illi culpandi sunt
 de illa disputandi ratione, qua di-
 vina omnia in dubium revoca-
 runt; Tu vero quia humana: utri-
 que vere appellandi ματαιόλογος,
 φρεναπατοῦντες ενιλογι , men-
 tem decipientes . Vere vobis aptari
 possent quæ Tatianus Sophistis
 Ethnicis exprobravit, illorum so-
 phismata appellans σωμάλυκτα
 χελιδόνων μαστία argutas nugas ,
 birundinum musæa . An nescis,
Germoni, litigiosam artem, & So-
 phisticen a Patribus, tanquam ar-
 ma gentilium, tanquam illis pe-
 cularem scientiam, fuisse vitu-
 peratam? Si legisses quæ illis op-
 ponit Clemens Alexandrinus, tuis
 etiam opponi posse cognosceres.
 quid? hoc scripturæ dictum οὐτι
 οἱ τὰ κατάργια κατασπῶντες , καὶ
 μηδὲν υφαίνοντες isti sunt, qui fu-
 nicu-

niculos trahunt, & nihil texunt.
 Verum nos, Germoni, in Te non
 solum culpam conferimus, quia
 methodum Sophistarum, & Pyr-
 rhonæorum es sectatus; sed quia
 res, & sententias hausisti ab Hæ-
 reticis, nostræ Religioni infen-
 sissimis, calumnias illorum ad-
 versus Benedictinos maximo plau-
 su excipiens. Ecce sententia
 tua, *vetustissima instrumenta esse*
ipsa sua vetustate suspecta. Ecce
 illa Marshami Heterodoxi ^{To. II. p. 9.} ^{In propyl. ad Moi} ^{nas. Anglic.}
intuendæ sunt ejusmodi chartæ,
quæ fidem habent minorem, quo
majorcm præferunt antiquita-
tem. En quomodo Tu cum Mars-
 hamo convenis. Non Te pudet,
 Ordini religioso addictum, in ho-
 minis hæretici sententiam ire,
 qui, sicut Tu, Benedictinos infa-
 mayit? convenire cum homine,
 qui ab ipsismet Heterodoxis pro-
 scribitur? cum homine, qui pro-

phetiam Danielis ad Antiochum,
 non vero ad Christum retulit? qui
 Hebræorum ritus non a Deo in-
 stitutore , sed ab Ægyptiis impie
 derivavit ? Nec horrescis contra
 Mabillonum sentire cum Hicke-
 sio heterodoxo Anglo ? cum Si-
 monio, quem Hæretici, & Catho-
 lici damnant ? cum Simonio , qui
 totus plenus est calumniarum in
 Ordinem Monasticum ? Verum
 hæc eadem , immo longe majora
 pronunciavit Harduinus sodalis
Germonianus omnia antiquitatis
 monumenta insectans , omnia na-
 so suspendens . Quæres fortasse ,
Germoni , ubi hæc Harduinus di-
 cat ? quis hæc referat ? testem ha-
 beo certissimum Richardum Si-
 monium, quem tu laudas. En ver-
 ba : *incredibile, ac simile portenti*
est, quantam falsorum scripto-
rum segetem de rebus tum sacris,
tum prophanis execranda, Et de-
tcſta-

In Epif. Crit. p.
 123.

testabilis una quædam, ut cæteras
ſileam, ante omnes fere quingen-
tos annos officina effuderit . En-
aliud paradoxum impiumque di-
ctum ejusdem Harduini : suffice-
re pro conservanda Religione ver-
ſionem vulgatam, & Concilium
Tridentinum ; quasi fontes He-
braici , & Græci , e quibus vulga-
ta versio manavit ; & Sancti Pa-
tres , quibus innititur Tridenti-
num, nullius sint pretii ? En aliud
paradoxum circa Authores Eth-
nicoſ : ſincera eſſe monumenta ex De num. Herod.
omni Latina antiquitate hæc ſola 2.60.
Tullium , Plinium , Maronis
Georgica , Flacci sermones , &
epiſtolas . quidni etiam Maronis
Eclogha , & Flacci Odæ ? Illud
etiam mirum eſt , quod dicit de
Cenotaphiis Pisanis a Norisio il-
lustratis : illa ab aliquo ſat stre-
nuo artifice conficta . O Pyr-
rhonæorum officinam ! O auda-
cissi-

1.182. **c**issimi hominis phreneticam vo-
 cem! audi nunc, Germoni, gravio-
 ra, quæ idem tuus Harduinus pro-
 didit. In Chronologia sacra hic au-
 tumat prophetiam Danielis de se-
 ptuaginta hebdomadibus, (o blas-
 phemiam ! o hominis stultitiam !)
 cum Porphyrio, Christianæ Reli-
 gionis hoste acerrimo, & cum
 Marshamo illo tuo, non respicere
 ad literam adventum Messiæ, con-
 tra Christianorum omnium per-
 petuum consensum. An hæc pa-
 radoxa non putas Germoni? an
 non impia, scelestaque dicta, &
 blasphemias? An ne talia non ef-
 fudit etiam, cum somniat *duos*
 Danieles, & *geminum* Habacuc?
 1.127. *et* vel cum negat Johannem Apo-
 stolum in insula Patmos, imperan-
 te Domitiano, Apocalypsim scri-
 psisse, eandemque esse signum fu-
 turi Ecclesiæ status? in ea enim
 est opinione, ut credat sub Nero-
 ne

ne scriptam esse , & Hierosolymæ excidium illam respicere . Hanc etiam Tu, Germoni, post Marshamum imitaris , inque ejus signis ponis fixa pedum vestigia : immo in id adducor , ut credam , hunc fuisse e numero *trium* vestræ *societatis eruditorum virorum* , qui tuos libellos adprobarunt . O confessum judicum præclarum ! o dignitatem judicii admirandam ! nunc , ut redeat unde discessit oratio , quid est caussæ , Germoni , cur antiqua diplomata falsa ad nos pervenerint , vera non pervenerint ? Jam te urgebo proprius . Cur charta , in qua vera diplomata sunt conscripta , fuit caduca ; illa vero , in qua falsa exarata , non fluxilis , non caduca ? cur tineæ solum vera corrupere , falsa non corrupere ? cur in tabulariis vera direpta ; cremata sunt , falsa non direpta , non cremata ? cur Tu uni potius , quam alte-

alteri hoc privilegium concedis ? rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest. Si verum esset, *diplomata antiquitate ipsa esse suspecta*, suspecta etiam censenda forent innumera monumenta, quæ in Ecclesia Ravennensi tempore Justiniani sunt exarata ? suspecta quamplurima diplomata membranacea Regum Langobardorum, quæ in Ecclesia Lucensi, quæ in Ambrosiana servantur. Hæc enim *antiquitate ipsa* tibi erunt *suspeta*, inde etiam, quia in phylira, in membrana sunt conscripta : suspectæ tot vetustissimæ Pontificum Epistolæ, tot antiquissimæ Regum, Imperatorumq; diplomata, quæ Archivum tenet Romanum. Immo necesse erit, ut falsi vel suspecti sint antiqui codices manuscripti ; cum ipsi codices sint chartæ in unum redactæ, sicut instrumenta etiam sunt *tomi char.*

chartarum, ut illa vocat Gre- lib, 10 cap. 12.
 gorius Turonensis. Spurius ergo
 erit Virgilii codex in Vaticana
 bibliotheca adservatus, qui quar-
 tum superat sæculum? vel qui
 Regia in bibliotheca servatur
 paullo inferiorem ætatem con-
 tingens? spurii codices Scripturæ,
 Conciliorum, Sanctorumque Pa-
 trum, qui ex antiquissimis ma-
 nuscriptis sunt deprompti, & ex-
 scripti? qui tandem durare po-
 tuit codex antiquissimus Aviti
 Viennensis Episcopi, in phylira
 scriptus, quo usus est Jacobus Sir-
 mondus vester? qui fieri potuit,
 ut ad nos pervenerit vetustissi-
 mus Ambrosianus Josephi Hebræi
 codex, in papiro etiam conscriptus?
 etenim si Tu, Germoni, rejicis di-
 plomata, quia *vetustate ipsa su-*
spetæ sunt fidei, necesse est ut
 etiam antiquis codicibus manu-
 scriptis fidem abroges. qua prop-
 ter

ter, te judice, nauci posthac erit
authoritas vetustorum codicum,
ad quos, tanquam ad sacram an-
choram, Patres confugiebant in
controversiis contra Hæreticos:
ergo infirmum, nulliusque pon-
deris tibi censendum erit argu-
mentum Sancti Augustini contra
Manichæos, qui plurimis locis af-
firmabant Scripturas esse vitiaſas
a Catholicis. Quid ad hæc Augu-
stinus? illos arguit *vetustiorum*
exemplarium veritate: multo-
rum codicum vetustiorum col-
latione. Sed si doctrinam Ger-
monij illi cognovissent, facile de-
dissent responsum, facile subter-
fugium invenissent. Si vero Tu-
cum Vasquesio libens, ut puto, di-
ces *Augustini vestigiis non esse in-*
fistendum; Tertullianum tibi pro-
ducam, Augustino longe antiquo-
rem. Hic eodem argumento com-
pellavit Marcionem sæculo III.,
ac

lib. II. contra Faust. c. 16.

Ad Hier. ep. 82.

*1.2 disp 193. c. 4.
num. 39.*

ac Augustinus Manichæos quinto sæculo compellavit. Adverte, Germoni, animum ad hæc Tertulliani verba : *Ego mecum* (Testamentum) *dico verum, Marciōn suum* : *Ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum.* *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur.* Scito, Germoni, Gregorium admonuisse Narsen Comitem, ut *vetus* codices ejusdem synodi (Ephesinæ) requirat, & illic videat, si quid tale inventur; videlicet si inveniret Adelphium, Savam, ceterosque in illa damnatos. Scito Marcum Ephesinum in Concilio Florentino convictum, qui sententiam quandam Sancti Basilii in codices fuisse illatam, & intrusam asserebat.

*Adr. Marc. l. 4.
c. 2. p. 503.*

L. 5. Ep. 14.

bat . Scin' quomodo ? adductus
fuit liber antiquissimus , ita ut
secundum judicium plurimorum ,
qui viderunt , visa antiquitate
videtur scriptus ultra annos 600.
 Recordere , Germoni , quod Tu
 scripsisti , nempe Hincmarum de-
 prehendisse falsitatem in codice
 Sancti Augustini Regi oblato , ex
 collatione quamplurimorum co-
 dicum , ex variis civitatibus , ac
 monasteriis collectorum . En quo-
 modo antiquitate veritas codicum
 comprobatur . At vero Tu ais , di-
 versam esse rationem instrumentorū
 quæ in publicis tabulariis adservantur , atque illorum , quæ
 ex privatis scriniis depromuntur ;
 nam illa authoritate publica sem-
 per adservata sunt , & omni ca-
 rent suspicione . Probe animadver-
 timus quam fucate , quam ex insi-
 diis rem tuam moliaris : videlicet
 tuæ ratiocinationes eo tendunt ,
 ut

In *Mis. Con.*
Flor. edit. Rom.
p. 213.

701.2. p. 336.

ut instrumenta etiam e publicis tabulariis educta evertant . Quî vero rogas ? quia tabularia pubblica magis quam privata obvia sunt : quia illa ex privatis , ut plurimum , sunt compacta , & composta . Præterea , si , Te judice , magistratum literæ , si edicta ipsa falsata sunt , cur tabularia pubblica omni carent suspicione ? Si codices in publicis bibliothecis corrupti sunt , ut Tu narras de codice Sancti Hilarii , cur etiam instrumenta ibidem falsari non potuerunt ? eadem enim est ratio de codicibus , ac de instrumentis ; nam hæc chartis etiam constant , & tamen , & incendio obnoxia sunt . Si vero asseris codices , qui in publicis adservantur bibliothecis omnifarere suspicione , qui vero in privatis suspectos esse , ut de instrumentis opinaris , Tu de recta via declinas : nam eadem authoritate

C fruui-

fruuntur codices, qui ex bibliotheca Vaticana, Bodlejana, vel Regia, ac qui ex Chisiana, Barberina, Colbertina eruuntur. Nescin' Hincmarum Remensem Archiepiscopum coram Rege Carolo, coram Episcopis, qui in Synodo apud Svestiones convenerant, falsitatis convicisse codicem Sancti Augustini Regi oblatum, collatione facta cum codicibus, qui de pluribus civitatibus, ac monasteriis allati sunt? En Germoni, quomodo codices monasteriorum (quorum tabularia ex tua sententia privata sunt) eadem authoritatem habuere, ac codices, qui ex civitatibus sunt allati: cur vero eadem ratio non erit de instrumentis, quæ in publicis adservantur tabulariis, ac de illis, quæ ex privatis depromuntur? Dices magnum esse discrimen inter instrumenta, & libros: nam

quod ad libros attinet, cum multa ipsorum exemplaria haberentur, nec omnia simul perire possent; facile fuit ex uno exemplari percuntem aliud exscribere de novo, & in deperditi locum substituere. Jam vero de veteribus diplomatibus nihil tale fingi potest: ceterisque enim diplomatis autographam raro geminum est, fere semper unicum; hocque reparari, si semel perierit, non potest, nec aliud, nisi adulterinum in eius locum sapponi.

Verum plura illa librorum exemplaria undenam ab initio exscripta fuerunt? nonne ex singulis primis autographis? cur vero illa singula prima librorum autographa eandem sortem pati non potuerunt, quam diplomatum prima autographa passa esse contendis? anne primis librorum autographis mures, & tineæ par-

cebant? anne illorum charta ca-
duca, & fluxilis non erat juxta,
ac charta diplomatum? anne fal-
sariis erat intacta? Si vero, ut jam
ostendimus, codices in monaste-
riis adservati inculpatam habent
authoritatem; cur instrumenta
autographa, ibidem adservata, il-
la carebunt? Ego ante, Gerino-
ni, te sapere censebam nimio plus
quam Thalem, verum nunc hi-
scē tuis distingui culis stultior es
barbaro Potitio. Si Pyrrhonismus
tuus locum haberet, quānam
fuissest Archivorum authoritas in
Ecclesia Africana, Romana, Re-
mensi? utique Tu de instrumen-
tis ibi adservatis dixisses, vel di-
ceres illa suspecta esse, quia nul-
la est ars secernendi diplomata
vera a falsis: quia instrumenta
antiquitate ipsa sunt suspecta, il-
lisque ineſt vitium, quod nobis
lateat; vel quia falsarii illa
adul-

In Cod. Can. Eccles.
Afric. Anas. Bib.
de vit. Pont. p.
22. 25. Elodoc.
Hist. Rem. p. 538.

adulterare potuerunt . Non ne
 hoc est Archiva omnia profliga-
 re , clarissimosque viros , qui ad
 Chartaria appellaverunt , irride-
 re , carpere ? Te judice frustra Hie-
 ronymus contra Rufinum scripsi-
 set de Epistola Anastasii Papæ , si a
 me fictam suspicaris , cur eam in
 Romanae Ecclesiæ chartorio non
 requiris ? immerito Josephus Ar-
 chivorum caussa Tyrios , Baby-
 lonios commendasset . Supervan-
 caneus fuisset Diodori , & Hero-
 doti labor improbus in conquiren-
 dis , perlustrandisve Gentium Ar-
 chivis , ut historiam contexerent,
 efformarent . At vident , Germo-
 ni , docti , & pii homines quo ten-
 dat hæc tua oratio : nimirum om-
 nem fidem , & autoritatem an-
 tiquis detrahere conaris , ut re-
 centiores quosdam laude cumu-
 les , & solos in pretio habendos
 suadeas . Idcirco codices in suspi-
 cio-

Apol. in Rufin.

*Con. Apion. L. I.
P. 1042, 1043.*

cionem falsitatis adducis. Vulga-
ta enim est quorumdam homi-
num sententia, recentiores anti-
quis esse præferendos, vel in tra-
ctandis morum regulis, vel in ex-
planandis dogmatum veritatibus.
Verum nullus est vir cordatus,
qui tibi facile assentiatur, cum
tot indicia non sanæ mentis præ-
fers: omnibus enim manifesto com-
pertum, atque deprehensum est,
quantum damnum historiæ, &
antiquitati sit futurum, si diplo-
matum veritas, & authoritas cor-
ruat: nam labefactatur jus publi-
cum, & privatum, historia omnis
mediæ ætatis, antiquitas omnium
familiarum, omnia demum tur-
bantur, atque miscentur. Quare
etiam, atque etiam Te moneo,
Germoni, ut exemplum Papebro-
chii peritissimi Jesuitæ tui conse-
deris, & imiteris. Hic cum legi-
set librum Mabillonii de Re Di-
plo-

plomatīca continuo a sententia
 sua deflexit, publicam palinodiam
 cecinīt, nec erubuit veritatēm
 agnoscere, Mabillonumque roga-
 re, ut si res postulaverit audacter
 testaretur, quam totus in suam
 sententiam iverit. Quidni Tu
 quoque id ipsum agis? Sequare
 itidem monitum Maximiliani Ras-
 leri etiam sodalis tui, qui Conri-
 gium hæreticum jure notavit
 quod viros plane innocentes tam
 turpiter, & ignominiose coram
 eruditis traduxerit. Ille enim, ut
 Tu, Benedictinos labē adulteran-
 di diplomata insperserat. Non Te
 pudet, hominem simulatorem
 pietatis, diutius in hoc errore ver-
 fari, cum sentis, quæ sit hominum
 querela de fronte tua, de machi-
 nationibus tuis? An stultum du-
 ces, sententiam, cogitationemque
 pristinam, re melius perspecta,
 immutare? habes exemplum Pa-

*In Defens. Di-
plom. Lindquien.*

pe.

pebrochli. Hoc ego quidem cu-
pio Te facturum : quod si feceris,
ut mea fert opinio, pro mea perpe-
tua cupiditate tuæ dignitatis re-
tinendæ & augendæ , quod tibi
acerbum molestumque haec tenus
dixi, in laudem tuam convertam,
Teque posthac dicam sapientem,
ingenuum , moderatum , immo
omnium nostræ ætatis , cum sin-
ceritate , tum omni literarum ge-
nere ornatissimum ; non vero cal-
lidum , audacem , confidentem
amplius Te denunciabò .